

tore, una cum XL. hominibus periit. Itemque Carratius, 1508
 militum reipublicæ præfectus, homo impiger egregiaque
 virtute, in agro Veronensi equo insidens ab homine cive
 suo, de quo nihil verebatur, interfectus est, gladio reni-
 bus infixo. De sicario, quem Mantuanorum dux suis in
 finibus captum magistratui Veronensium tradiderat, pœna
 sumpta. Is, dum ea de re quæstio haberetur, se propterea
 Carratium occidisse, quod sibi olim maledixerit, magi-
 stratui confirmavit. tanta est homini in hominem tamque
 diuturna parvula sæpe de re suscepta iracundiæ vis & in-
 dignatio.

Sub hæc ætatis exitu, quoniam magistratibus comitiis
 majoribus creandis leges jubent, ut ii, quibus id forte mu-
 nus obtigerit, ut nomen alicujus civis ad honores publicos
 suffragiis provehendi palam ederent, optimum quenque ci-
 vem renuncient, ac nonnulli divites ex civibus qui essent,
 nonnihil donarent eis, qui illos ad suffragia legissent, quo
 proniores ad eos in posterum renunciandos fierent: legem
 Decemviri tulerunt:

*Lex de am-
bitu.*

*Qui civi cuiquam, qui eum ad suffragia legisset, uti ma-
 gistratus crearetur, pecuniam aut quid aliud ob eam rem
 dederit, donaverit, qua in insula Decemviris placebit, exul
 esto: eo relicto loco captus, fœdiore in urbis carcere vitam
 producito, ac relinquito: eam pœnam minorem, nisi omni-
 bus ad unum suffragiis, collegium ne facito: qui facere vo-
 let, ei decem auri libræ mulcta esto.*

Paucisque post diebus Maximiliani regis consiliarius
 Joannes Raublerius, nullo comitatu, secreto ad urbem
 venit, Zachariamque Contarenum adiit, seque ad illum
 ab rege missum ostendit, petens, ut quemadmodum is
 indutiis conficiendis paulo ante operam dedisset, ita nunc
 eadem opera vellet efficere, ut aliqua pacis tractatio re-
 gem inter atque rempublicam iniretur. Contarenus, quæ
 secum regius interpretes communicavisset, Senatui exposuit.
 Senatus Paulum Pisanum legit, qui, quæ Raublerius af-
 ferret, ab eo Senatus nomine cognosceret: nam Contare-
 nus re exposita Cremonam prætor statim abierat. Cum

*Pax inter
Caesarem &
Venetos.*

ita-